

## PREPUBLICATION DRAFT

### Cur discipuli linguae Latinae Latine loquantur<sup>1</sup>

Aemilia Thornton Rasmussen  
The Paideia Institute

Cum fines vel causas gregium Latine loquentium describuntur atque intelliguntur, rogare num omnes discipuli fautoresque huius linguae Latine loqui debeant possumus, quae a nonnullis nonnumquam rogatur. Nam quorsum ac quatenus discipuli linguae Latinae Latine loquantur, atque num omnes ex his discipulis Latine loqui debeant, omnium Latinae studentium interest.

Iam multum pridem causae et tuitiones ab aliis hac in provincia bene versatis propositae sunt atque eae rationes cur discipuli in scholis Latinis Latine loquantur apud plerosque laudantur. Quinque saltem fines Latine in scholis loquendi exstant, ex quibus nulli sunt omnino contrarii, atque quidam a multis simul adhibentur—licet ultimus vel summus finis inter eos differat.

1) Finis ex his quinque maior, maxime vulgatus, saepius invenitur, est idem quem etiam magistri discipulique nondum Latine loqui assueti efficere conantur: id est, linguam comprehendere quanto fieri potest—penitus, argute, subtiliter. Licet fines vel causae cur discipuli linguam Latinam discere cupiant inter se differant, causa prior cur Latine in scholis loquantur est ut linguam melius discant, quod omnes discipuli et magistri huius linguae, vel cuiuslibet linguae, cupiunt; Latine loquantur *discendi causa*.

Ii, qui iam pridem rationes his de rebus proposuerunt, discipulos Latine loquendo et efficacius, et profundius, et naturalius linguam ipsam discere dicunt. Lingua nihil aliud est nisi modus communicandi. Discipuli linguarum, qui colloqui assuescunt, generaliter et universe melius formas et res grammaticas discunt memoriaque retinent, quia multa vocabula et varias formas grammaticas facere atque repetere solent, nedum de ictu ponendo dicamus.

Discipuli qui linguis modernis student, suam linguae notitiam atque agnitionem discriminum subtiliorum demonstrare solent cum linguam proferant loquendo,

---

<sup>1</sup> A version of this paper was first delivered at the 2014 Annual Meeting of CAMWS in Waco, TX.

quod cogitationem subitanam postulat. Si quis totam linguam intellegere et scire conari cupit, omnes partes, omnes modos hanc linguam usurpandi discere debet. Adhuc etiam est regula multorum collegiorum lyceorumque quod discipuli cuiusquam linguae peritiam et volubilitatem quodam modo habere debent; plerumque non licet linguae Latinae hanc regulam supersedere. Si discipuli tantum legere et fortasse scribere sciunt, totam linguam callere dici non possunt. Hoc enim videtur in scholis linguarum modernarum; discipuli linguam discunt non solum audiendo, sed etiam loquendo. Ne multa sim, sufficiat hoc: opus est linguis nostris, linguas dico in oribus, uti, ut linguam novam quamvis perdiscamus. Pedagogia saltem linguarum modernarum nobis persuadeat: si omnes virtutes discendi usurpantur, non modo legere et in linguam aliam vertere, lingua melius tenetur. Propter haec indicia, quidam greges fautorum linguarum antiquarum hanc formulam in scholis postulant: quod discipuli et loquantur, et audiant, et scribant quo efficacius linguam discant.

Quomodo homines praeteritorum saeculorum linguae Latinae studuerint quoque Latine loqui in scholis Latinis esse utile demonstrat. Continua fuerat traditio qua magistri linguam Latinam colloquendo et scribendo et legendo docuerunt, ab antiquitate usque ad saeculum vicesimum. Primum instituta est in lyceis et universitatibus studiorum Europae medio saeculi duodecimi, et omnino perseverata est per Renascentiam, at tum solum in seminariis Catholicis adhibita est ad medium saeculi vicesimi. Etiam his temporibus nos hanc traditionem velut exemplum vel normam linguae Latinae docendae sequamur. Quamquam lingua Latina nemini fuit sermo patrius medio aevo, ut ita dicam, nec in Renascentia, usus activus inter homines doctos viguit, praecipue quod lingua Latina fuit lingua rebus et ecclesiasticis, et scholasticis, et legalibus propria. Pedagogia enim illius gregis nomine Societatis Iesu, condita saeculo decimo sexto, quae est systema sive formula docendi quae remansit sine multis mutationibus usque ad saeculum duodevicesimum, usum linguae Latinae activum requisivit. Quia sumus quasi consortio quae sapientiam a praeteritis extrahere cupit, nos sapientiam non modo ab antiquis sed etiam ab exemplo milium annorum praeteritorum, cum doctrina classica fuit tam optima, considerare oportet. Illam traditionem quae diu erat consuetudo in Europa, quae tam optimos Renascentiae antiquarios prodidit, quae hodie 'modum traditionalem' docendi revera multo praevenit, temporibus nostris restituere debemus.

Multi enim discipuli Latine loqui cupiunt et a magistris requirunt, quod iucundum eis est, et studium excitat, atque eorum interest. Colloquia habere Latina est aliud instrumentum utile quod discipulos melius in scholis discere iuvat. Multi

discipuli linguae Latinae Latine cum condiscipulis loquendo fruuntur, ut discipuli modernarum linguarum. Discipulus enim cuiuslibet linguae consuetudinem cum lingua habere debet ut lingua nova cum eo communicet, ac ut is nova lingua communicare possit.

2) Puto nos omnes consentire ultimam causam eis qui usu linguae Latinae activo in scholis utuntur non esse solum ut optimum linguae intellectum habeant. Nam plerique qui Latine loquuntur discendi causa, hanc maiorem finem cupiunt: id est, discipuli linguam Latinam et Latine loquendo, et audiendo, et scribendo, et legendo discunt, ut vera opera Latina legant, atque ut ingenium Latinitatis intellegant. Potius tales homines servare studium litterarum antiquarum cupiunt, ut sapientiam et consilia ex his optimis operibus sententiisque lingua principale legendo ac tractando trahant. Nemo miratur discipulos altioris Latinitatis qui loqui sciant bene scribere, quique bene scribant, bene legere.

Latine loqui est methodus utilis in principio linguae Latinae discendae, praecipue cum pueris; sed usus linguae Latinae activus etiam utilis et efficax est in scholis altioribus, cum discipuli difficilioribus rebus grammaticis student, ac cum potestas vera opera Latina legendi crescit. Cum discipuli hunc locum attingunt, agnoscere atque intellegere formas intricatas, eis bene uti, discereque multa vocabula, debent, ut melius atque citius legant. In hoc loco studendi, usus linguae Latinae activus in scribendo atque magis in loquendo (quod multo difficilium est si locutor rectissime loqui conatur) summum auxilium est.

Bene recordor enim, quod in anno tertio meo apud universitatem studiorum, iter Latinum in montibus feci cum aliis discipulis ac magistris linguae Latinae, quo tantum Latine locuti sumus. Haud bene Latine loqui potui, sed hoc adhuc recordor: post sex dies, ego collocuta sum cum magistro meo, de nescioqua re, et ille me rogavit, "polliceris?". Et ego statim respondi, "polliceor." Hoc dixi quasi inscia; tempus responsum seligendi mihi non fuit. Me mente non rogavi, "quae est terminatio primae personae singularis verbi deponentis temporis praesentis secundae coniugationis modi indicativi?," ut antea facere opus erat. Quod tam multa colloquia Latina auscultavi atque habui, formas creare extemporaliter incipere potui. Illi enim qui lingua Latina colloqui possunt accuratius legunt quod melius intellegunt quid significetur, verbis quae subintellegantur deficientibus. Similiter fit ut discipuli arte loquendi eruditi verba cotidiana noverint quae alii discipuli nesciunt, sicut cum discipuli fabulas scaenicas aut colloquia et dialogos legere cupiunt, consuetudo colloquendi eis in interpretando emolumentum est. Loqui atque scribere Latine profun-

diorem facundiolemque idiomatis Latini scientiam ferre potest, quod multum iuvat in libris Latinis intellegendis. In scholis, igitur, Latine loqui est modus vel via quae alumnos citius ad profundam linguae eiusdemque litterarum medullam fert.

3) Tertia causa cur quidam Latine loquantur ad unitatem pertinet. Quidam exstant homines qui usum linguae Latinae activum colunt ut linguam unicam et communem habeant, inter antiquarios, vel inter omnes scholasticos, aut per totam orbem terrarum. Illi enim putant opera ac sententias nobis Latine traditas posse quasi ancoram, quasi fontem esse unitatis in mundo moderno. Sicut Pontifex Maximus Iohannes eiusdem nominis Vicesimus Tertius olim scripsit, “Suae enim sponte naturae lingua Latina ad provehendum apud populos quoslibet omnem humanitatis cultum est peraccommodata: cum invidiam non commoveat, singulis gentibus se aequabilem praestet, nullius partibus faveat, omnibus postremo sit grata et amica.”<sup>2</sup> Lingua Latina non iam est lingua cuiusdam terrae propria, sed ea modus communis communicandi inter eos qui operibus Latinis student, atque inter homines aliarum disciplinarum, sicut tempore Erasmi fuit, exempli gratia, dici potest. Unum exemplum huius sententiae eminens est illud periodicum nomine *Vox Latina*, conditum anno millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, quod dicit se “ad communicationem internationalem” spectare.<sup>3</sup> Hac dictione qualis sit huius periodici Latinitatis patet: stilus enim adhibetur quae quam maxime ad linguas modernas appropinquat.

4) Alius finis Latine loquendi ad Catholicos et homines quorum studium Catholicorum excitat refert. Lingua Latina, scilicet, est lingua Ecclesiae Catholicae. Multa instrumenta a Papis patribusque Ecclesiae, per pleraque saecula Ecclesiae historiae, Latine scripta sunt. Nefas sit, mea quidem sententia, hunc linguae Latinae usum apud Catholicos contemnere. Licet autem nunc rarius adhibeatur, non oportet nos hanc in desuetudinem devenire gaudere. Catholicos fideles et huius persuasionis academias exhortemur ut usum adhibeant linguae quae, rebus gestis et notis peculiaribus, haud immerito Catholica dicatur. At, pro dolor, Catholici pedetemptim magis abalienati suis traditionibus fiunt. Nam pauciores apud eos linguam discunt—sed, omnes qui volunt, quoque Latine loqui debent, quo penitius mores traditos participant.

5) Ceterum, ad quaestionem maiorem respondeam: attamen sane aliae sunt viae, alii modi, quibus ad eosdem fines discipuli pervenire possunt; debentne igi-

---

<sup>2</sup> *Veterum Sapientia*, Ioannis PP. XXIII, 3. [[Encyclical Letter on the Promotion of the Study of Latin](#)]. Apostolic Constitution, 1962. Web. 18 Mar. 2015.

<sup>3</sup> “[Descriptio](#).” *Vox Latina*. Saarbrücken: Societas Latina. 1 Mar. 2015..

tur omnes discipuli linguae Latinae Latine loqui? Causa tandem ultima, maxima, elatissima suadeat: quis non velit eisdem verbis quibus tam multi huius cultus doctores hesperii ex annis iam plusquam duo millia uti sunt tam facunde ac perargute colloqui? Atque, enim, si nemo vivens linguam Latinam satis sciret ut eā colloquatur, lingua ipsa re vera non viveret. In initio studiorum valde esse iucundum Latine verba facere quis neget? Multi hoc gaudium discipulis facilius lingua Latina impertiri putant, lingua quae est omnibus utentibus propria, quam nemo possidet, cui omnes conformationes verborum leporem habent, quo usus cuiusdam verbi aut phrasis quodam modo memoratae suavitatem agnoscendi fert. Quidam huius persuasionis illud gaudium hoc modo describit: est sicut iocus bonus. Quandocumque iocum audimus, nexum subitum et necopinatum mente sentimus, quae aliquomodo deliciarum scintillam creat. Latine loqui similiter hoc facit, ut qui Latine loquuntur novos nexum cum verbis Latinis quae didicerunt in scholis atque aliis colloquiis Latinis sentiant. Licet raro agnoscatur ac tractetur, lepor qui hoc modo creatur ab omnibus Latine loquentibus intellegitur. Idcirco hactenus discipulos linguae nostrae omnes, qui linguam perdiscere penitusque intellegere volunt, Latine loqui non modo decet, immo, oportet.